



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XII. Pax.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. XVIII.

Paupertas ex usu, bona, vel mala.

*M*endicitatem, & divitias, nē dederis mihi. Prov. 30. 8. S. Bernardus l. 6. de jejunio: nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Id. l. 2. variat: nē forte aut divitiæ attollerent in superbiam; aut paupertas deiceret in impatientiam.

Propter inopiam multi deliquerunt; & qui quarit locupletari, avertit oculum

suam. Eccl. 27. 1. q. d. duo sunt scopuli in mari hujus sæculi; ad quorum alterutrum communiter impingunt homines, ruuntque in peccatum: scilicet opes, & inopia. Quare id prævidens Salomon obsecrat: *mendicitatem.* &c. Cornelius hic.

Utilius terrena opulencia tenetur humiliter, quam superbè relinquitur. S. August. ep. 34.

Parum tibi sit, renuntiare divitijs, nisi renuntietur & vitijs: quia minus periculosum est, esse divitem Christi, quam pauperem Antichristi. Petr. Blef. ep. 137.

TITULUS XII. PAX.

§. I.

In Genere.

*F*actus est in pace locus ejus. Pl. 75. 3. S. Hieron. hic: Locus Dei non est nisi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat, se non esse locum Dei. Ubi pax, ibi Deus: nam *in pace factus* &c. Petrus Blef. ep. 138.

Qui possit fines tuos pacem. Pl. 147. 3. Tunc enim erit perfecta pax, quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni. S. Thom. Aq. in c. 1. ep. ad Rom. lect. 4.

Revertere, revertere Sulamitis. Cant. 6. 12. Sulamitis idem est, quod Jerusalem, ait Pagninus, & Varablus. Jerusalem enim olim dicta est *Salem*. Unde Sulamitis idem est, quod *civis Salem*, sive Jerusalem. Hoc est mylicè: *habitas in pace.* Cornelius hic.

In terra pax hominibus. Luc. 2. 14. Nominè pacis intelligitur omne bonum: ac proinde pax hominibus, hoc est, omnis felicitas, omne bonum hominibus. Sylveira hic.

Plus togæ læsere Rempublicam, quam lorice. Tercull. l. de pallio circa finem.

Pax corporis, est ordinata temperatura partium: pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum: pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actionisque consensus: pax corporis, & animæ, ordinata vita, & salutis animantis: pax hominis mortalis, & Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. S. August. de Civ. l. 19. c. 13.

Custodienda præ omnibus virtutibus pax est: quoniam Deus semper in pace est. S. Chrysol. l. 53.

Inter omnia bona creata, tam temporalia, quam æterna, pax obtinet principatum; sinè quâ nulla potest esse vita beata; & quâ perfectè habitâ beata est anima. Unde Augustinus

Polyanth. Sacr. Tom. II.

ait: quod nil est aliud vita beata, quam pax æterna. Tantum est bonum pacis, quod eam Dominus commendaverit nascendo, prædicando, moriendo, & resurgendo. S. Bonaventura l. 32.

§. II.

Pax cum Deo.

Num. 1.

Bellum cum vitijs.

*N*omen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi. Pl. 9. 6. Non transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magnò strepitu prius cum suis vitijs beligeraverit. S. August. hic.

Factus est in pace locus ejus. Pl. 75. 3. Ille pacem probatur habere cum Deo, qui adversum mandata ejus contrariâ voluntate non litigat; qui sequitur jussu Dominantis; & ad omne præceptum divinum, suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordiam habere cum moribus, & litigare cum vitijs. Cassiodorus hic.

Justitia, & pax, osculata sunt. Pl. 84. 11. S. August. hic: fac justitiam, & habebis pacem; ut osculentur se justitia, & pax. Si non amaveris justitiam, pacem non habebis. - Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Tu quare litigas cum justitia? ecce justitia dicit tibi: nē fureris; & non audis: nē adultereris; & non vis audire: inimicus es amicæ meæ. Dicit tibi pax: quid me queris? amica sum justitiæ: quemcunque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Sylveira in Apoc. 1. 4.

Pax vobis. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Cùm Discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax. q. d. pacem offero vobis; sed quæ effusò sanguine, diris vulneribus comparata. Monemur: Spiritus nostri pacem bellorum incommodis acquirendam. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. sect. 1. obs. 6.

De ore ejus gladius utraq; parte acutus exibat. Apoc. 1. 16. Cur Christo gladius in ore, in quo semper pax? Luc. 24. 36. *Pax vobis.* Joan. 20. 21. Joan. 14. 27. Possit hic dici cum Jer. 4. 10. *heu! Domine Deus! ergone decepisti populum tuum dicens: pax erit vobis; & ecce pervenit gladius usque ad animam.* Pax quæ à Deo venit, non inermis est; sed bellicosa debellans peccata. S. Hieron. in citatum Jer. nisi gladius præcesserit, qui defecet vitia; pax non sequitur. Sylveira hic.

Num. 2.

Varia de pace cum Deo.

Iniq; non egimus in testamento tuo. Ps. 43. 18. Testamentum Christi, quod fecit ante mortem suam, est pax inter Deum, & hominem; secundum quod dicit Joan. 14. 27. *pacem relinquo vobis.* Eccl. 45. 30. *stavit illi testamentum pacis.* Ad hoc autem, quod fiat pax inter aliquos, oportet, quod uterque flectatur in aliquo à suo proposito. Similiter in pace facienda inter Deum, & hominem, Deus flectitur à sua justitia per misericordiam: & homo quasi ei assurgit, & occurrit, per poenitentiam. Hugo Card. hic.

Osuletur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Vox Ecclesiæ hæc est, venientis ad Christum in osculo; offensam, quam apud Deum homines peccando contraxerant, resolvi cupientis: & pacem, in qua dum essemus Deo Patri inimici, per ipsum Filium ejus reconciliamur, invenire desiderantis. S. Justus Orgelii, hic.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Consolatorium verbum est; securitatemque tenet ab hostibus celebrata pax. Sim. Cæs. 1. 9. c. 29.

Dixit eis: pax vobis. Et cum hoc dixisset &c. Joan. 20. 20. Manifestè hic illa de pace agitur, quæ est remissio peccatorum: quod primum, & maximum est Spiritus S. donum. S. Rupertus 1. 14. hic.

Quid est autem dilectissimi, pacem habere ad Deum; nisi velle, quod jubet; & nolle, quod prohibet? S. Leo 1. 6. in Nat. D.

Nulla nobis utilitas, si cum omnibus pax; cum Deo autem bellum nobis sit. S. Chrysost. hom. 1. in 1. Cor. 1.

§. III.

Pax cum proximo.

Cum his, qui oderunt pacem &c. Ps. 119. 7. Non est omnimoda pacis signum, aut virtus, cum pacificis; sed cum inimicis pacis esse pacificum, laudabile, atque virtuosum, est. Sim. Cæs. 1. 10. c. 10.

Lauda Jerusalem Dominum. Ps. 147. 1. Cum Spiritus S. illam cœlestem Jerusalem, id est, congregationem omnium Sanctorum, quæ cum Christo est regnatura, ad laudandum Dominum provocaret; cum dixisset: *lauda Jerusalem Dominum.* addit: *qui posuit fines tuos pacem.* Ergo, ut ipsi videtis, Beatus

David, licet virtutibus multis fuerit exornatus; nulla tamen actio eum familiarius Deo conjunxit, quam dilectio inimicorum suorum. S. Aug. 1. 2. D. 3.

Utinam attendisset mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. Ps. 48. 18. Quid flumini cum pace? multum. Percutitur aqua baculo, vel gladio; injiciantur saxa: dividetur quidem aqua; mox tamen iterum coabit, sine ullò vulneris signo. *Utinam attendisses mandata mea:* nam ubi observatio est legis divinæ, hic vindicari non solent injuriæ. Drexelius Opusc. 7. Joseph. c. 16. §. 3.

Beati pacifici &c. Matth. 5. 9. Cur in præmium datur pacificis, quod filij Dei vocentur? S. Cyprianus lib. de unic. Eccl. Christus omnia dona suæ pollicitationis, & præmia, in pacis conservatione promittit. Si hæredes Christi sumus, in Christi pace maneamus, Si pacificis promittitur nomen filij Dei, promittitur etiam jus ad bona Paterna. Pauperibus, mitibus, & alijs virtutibus, promittitur unum, vel alterum præmium; at pacificis omnia bona Paterna dantur. Sylveira hic q. 28.

Facti sunt amici Herodes, & Pilatus in ipsa die. Luc. 23. 12. Decebat enim eum, qui Mundum erat pacificaturus, ut prius etiam ipsos judices suos pacificaret. S. Cyrill. Jerof. Catech. 13.

Pax vobis! ego sum. Luc. 24. 36. q. d. Spiritus malignus non affert pacem, sed inimicitias; & fugit pacem. S. Vinc. Ferr. fer. 3. Pasch.

Pacem relinquo vobis. Joan. 14. 27. ultimum vale dicit Dominus Discipulis charissimis. Nam Judæi accedentes, & discedentes, pacem amicis precabatur. Euthym: *pacem* &c. ut pacifici erga vos mutuo sitis, & erga me. Barradius, Dom. Pent. tom. 4. l. 4. c. 5.

Non quemodo Mundus dat. ib. Quia impij pacem precantur sine ullis doloribus: Christus dat pacem cum his conjunctam. S. August. 1. 166. de temp. pacem nobis Christus dedit; concordem, atque unanimes esse præcepit: hanc suis hæreditatem dedit. Id. ib.

O chara pax! dulcis & res, & appellatio! ô chara pax! quæ bonum es, ab omnibus quidem laudatum; sed quod pauci custodiunt. Qui, quæso, tantò jam tempore nos deseruisti? quando ad nos reditura es? S. Gregor. Naz. orat. 10. de pace 3.

Suavitas est quies mentis, quæ pacem sequitur: est quasi quietis æterna, & suavitatis pars, & initium. S. Albertus M. parad. an. c. 13.

Tantum est pacis salutaris bonum; ut pro ejus adoptione, neque mundanus honor, neque status, neque gradus, neque propria utilitas, ab ea debeant aliquem deterrere. Ecce quanta sustinuit opprobria summus Pontifex Christus, ut faceret utraq; unum; reconcilians in suo sanguine ea, quæ in cœlo sunt, & in terra: factus opprobrium hominum, & abjectio plebis; & non dicens: fervetur honor meus. Joan. Gerf. Confid. 4. de pace.

§. IV.

§. IV.

Pacem facientes.

Beati pacifici. Matth. 5. 9. Grævus, & Syrus: *Beati pacem facientes.* S. Hieron.

beati pacifici; qui primò in corde suo, deinde inter fratres dissidentes, pacem faciunt: quid enim prodest? alios per te pacari; cum in tuo animo sint bella vitiorum. Sylveira hic.

TITULUS XIII.

PECCATOR.

MISERIE ILLIUS.

§. I.

Descendit à Jerusalem.

Num. 1.

Incidit in latrones. Luc. 10. 30. Utinam Domine Jesu ad me misericordiâ motus digneris accedere; qui descendens ab Jerusalem in Jericho; prorsus scilicet de summis ad infima, de vitalibus ad infirma, in Angelos tenebrarum incidi: qui non solum gratiæ spiritualis mihi vestimentum abstulerunt; sed etiam plagis impostis semivivum reliquerunt. Utinam peccatorum meorum vulnera, datâ mihi recuperandæ salutis fiduciâ, alliges; nè deterius faveant, si sanari desperent. Utinam oleum mihi remissionis adhibeas, & vinum compunctionis infundas. S. Gregor. Naz. in Ps. 50. Descensus ab Jerusalem averso est à pace, à virtute, à quiete. Male sibi providet, & ad gehennam se parat, qui à pace fecit abscessum. Sim. Cas. 1. 6. c. 10.

Quid tibi displicuit, ô descendens, in domo virtutum; ut ab ipsâ descenderes, aut egredere portas pulchritudinis ejus? Displicuit tibi ficus? fundata est in montibus sanctis, in altitudine divinorum bonorum. Displicuit tibi habitatio? an in ipsâ existens varios ex defectu parietum timebas incurfus? *Qui consistunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.* Ps. 124. 1. An displicuit regalis auctoritas? expedit tibi anima, ut regaris; sed pacificæ civitatis Rex pacificus est. An non placebant tibi Prophetæ? cautum te faciebant; ut pavidus, atque paratus, divinum expectares adventum. An Sacerdotes tibi faciebant discrimen? nonne Sacramentis sanabant putrida tua? & orationibus, atque sacrificijs, pro te interpellabant ad Dominum? An Prædicatorum declamatio tuis tadium inferebat? sed hoc debebat tibi esse ad gaudium: quia dabant Creatoris notitiam, Redemptoris amorem. An tibi odio erat templum? locus est orationis, & reconciliationis ad Deum. An tibi displicebat propitiatorium? Christum, qui est vera charitas, & propitiatio pro peccatis, non oportebat dimittere. Quid est in domo pacis, in domo virtutum, in Ecclesia Dei, quod tibi displicet? qualis est, cui displicet visio pacis? &c.

Sim. Cas. 1. 8. c. 38. vide locum fusissimè de super.

Incidit in latrones. ib. Latro dicitur, qui aufert invito domino alienum. Hoc omnis peccator facit pro eo, quod jure creationis omnis homo, velut omnis creatura alia est Dei. Peccantes omnipotenti Deo, nos ipsos latrocinamur, atque furamur. Nec non jure redemptionis factæ per sanguinem sibi vendicat nos Salvator, ut vita nostra referatur ad eum. Cum igitur peccando ab eo avertimur, ad creaturam convertimur; quid aliud facimus, quam nos ipsos more latronum rapimus ipsò invito. Id. ib.

Et plagis impostis. ib. Pessima fit plaga peccati, quæ consuetudine longâ infecit. &c. Id. ib.

Proponitur hîc multiplex peccatorum miseria. Privant cœlesti gloriâ: *descendebat ab Jerusalem.* *Incidit in latrones;* potestatem demonum: bonis gratuitis expoliant; vulnera inferunt, quibus integritas humanæ naturæ violatur. Samaritanus Christus: iter ejus Incarnatio: jumentum caro ejus. S. Thom. Aqu. D. 13. Pent.

Num. 2.

Peccator est filius prodigus.

Luc. 15.

Pro Deo idola coleas naturæ bona universa consumpsit: & consumptis omnibus, cœpit egere virtutibus, derelicto fonte virtutem. *Facta est fames valida* per regionem illam. Omnis locus, quem Patre absente incolimus, famis, penuriæ, & egestatis, est. S. Hieron. ep. 146. ad Damasum de filio prodigo.

Peregrini sumus, quamdiu in hoc Mundo sumus: nam in hoc Mundo est proprietas hominum peccatorum; sed exilium est Sanctorum. Nam mali sunt hîc tanquam in propria patria; sed boni sunt tanquam in patria aliena. Hinc Cain *edificavit sibi civitatem.* Gen. 4. 17. Abel verò, quia filius Dei, & peregrinus, nullam. S. Bonaventura l. 69.

Porci ipsi maligni spiritus sunt: quia in fœtore, & vitiorum stercore, delectatur. Hos autem porcos illi pascunt, qui eorum voluntati obediunt, eorumque desideria complent. Superbia, luxuria, avaritia, & similia, siliquæ sunt; quibus maligni spiritus nutriuntur. His